

sensibus, in tactu autem & gustu maximè luculenter, ita Galenus 1. de
causis symptom. cap. 6. Idem de diff. symptom. cap. 3. ἴδιον καὶ ἐξ αἰσθητοῦ,
inquit, ἢ καὶ τῆς ἀφω ἐνεργεία ὡς τὰς ἄλλας αἰσθήσεις κεντηταὶ
σύμπτωμα, τὴν ὀδύνην. Tactus egregium præter ceteros sensus in
actione sua symptoma possidet dolorem.

Non est autem simplex sensus tactus depravatio, sed per-
cepta à facultate superiori. Sensus tactus apprehendit tristem
noxam, sed de eâ iudicium fert ratio.

Dolorem non subsequitur illicò, sed quando ad statum
vergit, TUMOR, qui pro diversitate humorum influentium,
quandoque magis, quandoque minus conspicuus existit. Hòc
simul impeditur MOTUS, quando dolor urget & vehemens est.

ORITUR simul ex his CALOR præternaturalis non à pu-
tredine, sed à sanguinis effervescentia, dum natura vitiosam sa-
burram humorum expellere conatur. Hic calor deindè ope
circulationis per totum dispergitur corpus, totum affligit diem
noctemque, & ægri quandoque præ doloribus nimis vix ali-
quid molestiarum ab eò percipiunt atque sentiunt.

CAPUT III

contradicientibus it obviam.

Epiphanus Ferdinandus histor. seu cas. med. 59. miratur quos-
dam antiquiores medicos, qui podagram definie-
runt per dolorem, cum dolor sequatur ad tumorem po-
dagrosum. II. Tumor, inquit, est genus, & de essentia
podagræ, non in externis, sed in internis latens materiæ colle-
ctio. III. Doctrinam hanc repugnare ait auctoritati Hippocratis,
6. aphor. 49. qui non dolorem vocavit podagram, sed inflamma-
tionem, à fluxione in articulos delabente ortam; curationem
etiam indicationem cum omnibus inflammatione laborantibus
communem habere subjungit. IV. Nescire se ait causam, qua-
re chirurgi de tumoribus præter naturam pertractantes, non
posuerint podagram inter tumores. V. Excusat vel potiùs re-
prehendit medicos altioris ordinis, quod tanti fecerint sym-
ptoma principale, ut morbum neglexerint.

Verùm hæ rationes Epiphani non sunt magni momenti.

Dupli-